



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

11. Decembris. Difficiliùs est a spiritum comprimere, quàm carnem affligere. S. Ignat. apud Orland.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)



Nec est, quòd imbecillitatem quis excu-  
set. Potuerunt illi, cur tu non possis? etiam  
illis Damascena è terra coaluit corpus, par  
utrisque gratia; quid adhuc desit, nisi ani-  
mus?

Malè naturam inculpamus, nostros illa  
veretur nutus; negligentia, non impotens  
tia vitio fit, quòd à tantis exemplis dege-  
neres abeamus. Consuetudo altera natura  
est, fac, secunda sit primà melior.

Regula in ædificiis debet esse perfecta;  
secus muri declinabunt ruinae propiores,  
quàm fastigio. Artefactum suà ideà non  
fit melius. Optimi sint, quos imitandos  
designamus.

## II. Decembris,

*Difficilius est spiritum comprimere, quàm  
carnem affligere. S. Ignat, apud Orland.*

**U**T corpori negentur commoda, ut  
membra dolore atterantur, durum  
quidem est; sed non ità sublime, quin eò  
etiam philosophica virtus ascenderit, quæ  
fortunas, & vitam contemnere, non semel  
docuit.

Contemni, posthaberi aliis, sui æstima-  
tionem contemptui habere, hoc, ut natu-



ræ ordinem , sic etiam omnem philosophorum captum excedit ; ille solus virtutis hujus magister est , qui mitis erat, & humilis corde.

Externa mala tolerare, cortex solum est patientiæ : ast ea ferre æquanimiter, quæ animam vulnerant , hæc medulla virtutis est. Hic Rhodus, hic factus est. Sinceræ hic lapis lydius virtutis.

Corporis ferre molestias , jactantia sæpe, sæpe pertinacia docuit : ast animi læsi gemitus comprimere , spiritus ad alta natos , intra rectæ rationis limites cohibere, non nisi fortitudo potest.

## 12. Decembris.

*Negligentia, & tepiditas semper maestos pariunt ignavo labores. S. Ignat. in Epist. de perfect.*

**M** Agis ille laborat, qui minus. Otiosi citius atteruntur viribus , quàm negotiosi ; qui suis indulgent cupiditatibus, plura patiuntur iis, qui carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis suis crucifixerunt.

Ubi fervor est , ibi labor non est ; ubi amatur, ibi non laboratur , vel certè labor ipse